



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

III. Quinam contrahere possint?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

QUÆSTIO III.

Quinam contrahere possint ?

Ætates hominis, sunt

21.

Advertendum, quòd quamvis Doctores variè distinguant ætates hominis, dum alij plures, alij pauciores assignant, prout refert Fagnanus *c. Cùm sis, n. 14. de Convers. Conjugat.* communior tamen sit sententia Glossæ in *Proœmio Libri sexti Decretalium, §. Perfectus*, quæ sex tantùm ætates, seu status hominis assignat. Prima est *Infantia*, quæ durat usque ad septimum annum completum. Secunda est *Pueritia*, quæ in fæminis durat usque ad duodecimum, in masculis verò usque ad decimum quartum annum completum. Tercia est *Adolescentia*, durans usque ad vigesimum quintum completum. Quarta est *Juventus*, vel *Virilis ætas*, durans usque ad quinquagesimum annum; quamvis alij juventutem, & ætatem virilem dividant, & hanc ab anno quadragesimo, vel saltem quinquagesimo, usque ad quinquagesimum nonum computent. Quinta est *Senectus*, quæ exinde usque ad annum septuagesimum protenditur. Sexta est *Senium*, seu *Decrepitas*, quæ abinde continuatur usque ad mortem.

Infantia.
Pueritia.Adolescentia.
Juventus.
vel Virilis ætas.Senectus, &
Decrepitas.

22. Advertendum ulterius, quòd juxta præmissas vitæ humanæ ætates varia nomina sortiatur homo. Atque, ut omittatur nomen *Juvenis*, *Viri*, *Senis*, & hujusmodi, quæ ad propositum minus attinent, imprimis homo dicitur *Infans*, qui est minor septem annis completis. Exinde verò, quia pubertas in masculis expleto decimo quarto anno, in fæminis autem expleto anno duodecimo mox incipit: hinc masculi ante expleto decimum quartum annum dicuntur *Impuberes*, eòque expleto *Puberes*; fæminæ autem ante duodecimum expleto *Impuberes*, postea verò *Puberes*, & *Minorenes*. Porrò *Minor*, seu *Minorenis*, dicitur pubes usque ad vigesimum quintum annum expleto, & quidem expleto de momento in momentum: postea tales vocantur *Majores*, seu *Majorenes*.

Infans.

Impubes.
Pubes.Minor, seu
Minorenis.
Major, seu
Majorenis.
Pupillus.

23. Rursum *Pupillus* dicitur, qui cùm adhuc impubes sit, desinit esse in potestate patris, vel per mortem ejus, vel per emancipationem: & hic vel est pubertati proximus, vel infantie proximus, prout magis accedit ad pubertatem, vel infantiam. *Pupillus pubertati proximus*, si masculus est, dicitur ille, qui habet ætatis decem annos cum dimidio; si fæmina, quæ habet novem annos

Pupillus pubertati,

annos cum dimidio : ante hoc autem tempus dicitur *Pupillus in-* vel infan-
fantia proximus, si est supra septennium; vel *Infans*, si est infra tia prox-
 septennium. Hisce terminis prænотatis, sit mus. qui ?

24. CONCL. I. Generatim loquendo omnes, & soli illi con- Generatim,
 trahere possunt, qui habent liberam bonorum administratio- qui possint
 nem. Ita omnes Doctores. Cæterum inter eos, qui non habent contrahere ?
 liberam bonorum administrationem, cum primis sunt infantes,
 amentes, aut aliàs usu rationis carentes : tales enim, licet sint ca-
 paces dominij, non tamen usûs vel liberæ administrationis ejus
 ob defectum rationis; unde nec contrahere possunt.

25. Similiter Religiosi solemniter professi, cum nullius rei An & Reli-
 dominium habeant ob votum Paupertatis, consequenter ne- giosi ?
 queunt legitimè disponere de bonis Monasterij, neque contra-
 here sine consensu Prælati. Prælati verò, & constituti ab eo Ad-
 ministratores bonorum communium, possunt quidem contra- (d) Tract.
 here, sed in multis casibus non nisi dependenter à consensu Ca- 7. Dist. 3.
 pituli seu Communitatis, & ad usus determinatos duntaxat. Huc Quaest. 2.
 addi possent filij familias, & uxores: verum de ipsis jam dictum su- per totum.
 perius. (d)

26. CONCL. II. Pupillus pubertati proximus, ac Minoren- Verum Pu-
 nis, potest quidem sine autoritate Tutoris, vel Curatoris, con- pillus, vel
 trahere in suum commodum, non tamen in suum incommo- Minoren-
 dum seu præjudicium, ita ut civiliter obligetur. Ita commu- nis ?
 nis; & habetur expressum §. 1. *Instit. de Autoritat. tutor.* ibi:
Si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris autoritas; quod si alijs
promittant pupilli, necessaria est tutoris autoritas: namque placuit, melio-
rem quidem suam conditionem licere eis facere etiam sine tutoris autoritate,
deteriorem verò non aliter, quam cum tutoris autoritate. Unde, ut ait
Glossa ibidem, Contractus claudicat quandoque.

27. Infertur proinde, quòd celebrato emptionis contra- Corollariū
 ctu Pupillus, sine Tutoris consensu emens, non possit actione ci- de Pupillo
 vili compelli invitus ad standum contractui, & solvendum pre- emense sine
 tium emptionis: ipse tamen Pupillus, si contractui stare velit, Tutoris
 potest actione civili cogere venditorem ad tradendam sibi mer- consensu.
 cem pro constituto pretio. In quo proinde casu claudicat con-
 tractus, ut dictum.

28. Insuper infertur cum Laymano *lib. 3. tract. 4. c. 9. n. 10.* Velluden-
 & alijs, quòd si Pupillus, vel Minor habens Curatorem (secus di- do perdente.
 cendum, si hic Curatorem non habeat) quidpiam ludendo per-
 didit, aut alio contractu promisit, id solvere non teneatur, sed
 possit

possit se exceptione Legis Civilis defendere, nisi Minor se solviturum jurasset. Quòd si verò Pupillus, vel Minor, solvit creditori, potest is tutâ conscientiam rem retinere, donec ab eo repetatur per beneficium Legislatam repetitionem concedentis; cum hic saltem obligatio naturalis interveniat, quæ ex Jure Gentium per consensum oritur.

An Minoren-
rennis, vel
Pupillus
tunc obligetur
naturaliter?

29. Dicitur notanter, cum hic saltem obligatio naturalis interveniat. Nam etsi Pupillus pubertati proximus, ac Minorennis, non obligetur civiliter, si contrahat sine Tutoris vel Curatoris auctoritate, nihilominus obligatur naturaliter, ac in Foro conscientie: quamvis hujusmodi obligatio naturalis sit aliquo modo inefficax, utpote quæ per exceptionem ex beneficio Legis Civilis, non compellentis Pupillum ad solutionem, elidi potest; ad eò, ut neque in Foro conscientie solvere teneatur, nisi quatenus locupletior factus est; prout observat Lessius lib. 2. cap. 17. n. 61. Sanchez lib. 6. de Matrim. disp. 38. num. 21. Layman num. 7. Sannig. dist. 11. de Justitia, quest. 3. num. 9. & communior Doctorum, etsi nonnulli dissen- siant. Ratio autem, cur oriatur obligatio naturalis, donec per exceptionem Legis elidatur, illa est: quia hic verè intervenit consensus Pupilli, vel Minorennis: atqui ex consensu oritur obligatio naturalis, l. Stichum. §. naturalis. ff. de Solution. ergo.

Quid de Pu-
pillo infan-
tia proxi-
mo?

30. Intellige, dummodò Pupillus sit pubertati proximus: nam cum Pupillus infantie proximus vix ullum intellectum habeat, idè Jura omnem ex parte ejus obligationem tollunt; de quo proin Pupillo intelligendus est textus l. Pupillus. ff. de Action. & obligat. ibi: Pupillus mutuan pecuniam accipiendo, ne quidem jure naturali obligatur, cum concordantiss.

Quid, si con-
trahat cum
consensu
Tutoris, vel
Curatoris?

31. CONCL. III. Pupillus, & multò magis Minorennis, cum consensu & auctoritate Tutoris, vel Curatoris, potest validè contrahere. & sic contrahens obligatur tam civiliter, quam naturaliter. Ita communis; & habetur l. Impuberes. ff. de Auctoritate & consensu tutorum. Verùm occasione dictorum

Differentia
inter Tuto-
rem, & Cu-
ratorem.

32. Quæres, quæ sit differentia inter Tutorem, & Curatorem? Resp. eos differre potissimùm in sequentibus. Siquidem Tutor datur usque ad tempus pubertatis, ad tuendam præcipuè personam Pupilli, secundariò autem ad bona ejus administranda; secutâ verò pubertate Tutela finitur: Curator autem pueris, & puellis puberibus, datur usque ad vigesimum quintum annum, potissimùm ut bonis eorum præsit, seu administra-
tor

tor existat. Deinde Tutor impuberi, etiam invito, dandus est: sed Curator puberi non datur si est invitus; & tunc pubes per se ipsum validè contrahere potest, & contrahens obligatur tam civiliter, quàm naturaliter; nisi in casu, quo graviter læsus est, eidem subveniatur per beneficium restitutionis in integrum, juxta dicenda *Quaest. seq.*

33. Quæres ulterius, quid sit obligari civiliter, & naturaliter? Resp. *Obligatio civilis* dicitur ea, quæ aut legibus constituta, aut certo Jure Civili comprobata est. *Obligatio naturalis* verò, quæ ex Jure Gentium per consensum oritur. Hinc ille dicitur *obligari civiliter*, qui in Foro externo, ac Civili conveniri potest. *Naturaliter verò obligatur*, qui ex Jure Gentium obligatus existit, ac proinde saltè in Foro conscientie tenetur, nisi beneficio Legis Civilis, seu per rescissionem actus ope Judicis factam, à tali obligatione naturali liberetur.

Obligatio civilis & naturalis, ac

Obligari civiliter & naturaliter, quid?

Obligatio naturalis effectus, qui?

34. Porrò obligationis naturalis plures sunt effectus: quorum primus, isque præcipuus est, quòd creditori jus tribuat accipiendi, ac retinendi, si quod naturaliter ipsi debitum est, nullà oppositâ exceptione solvatur: & hic est effectus principalis, & inèparabilis ab obligatione naturali: Secundus obligationis naturalis effectus est, quòd impediatur debiti soluti repetitionem. Tertius, quòd tribuat cuiusdam jus exceptionis, & compensationis. Et quartus, quòd in obligatione naturali possit accedere fidejussor. Verùm hi tres posteriores effectus obligationis naturalis quandoque ex dispositione Juris communis separantur, ac præsertim in Pupillis, & Minoribus, si sine Tutoris vel Curatoris consensu sese cuiusdam obligent. Layman *lib. 3. tract. 4. c. 9. n. 9.* & alij.

QUÆSTIO IV.

De Restitutione in integrum, & quibus competat?

35. **R**estituere in integrum idem est, ac reducere aliquem in eum statum, in quo erat ante læsionem, arg. *L. 1. C. De sententiam passis*. Nam ob æquitatem naturalem, ac Jure communi sic disponente, Judex certis hominibus in contractu, vel aliâ actione graviter læsis, aut deceptis, cognitâ causâ subvenit restituendo eos in integrum: sic enim Minoribus, videns in aliquo contractu se graviter fuisse læsum, si petat intra debitum tempus, ut reponatur in eo statu, in quo fuit ante

Restituere in integrum, quid?